



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ARIARIENSIS\*** PRAEFECTURA APOSTOLICA  
ARIARIENSIS, IN COLUMBIANA  
REPUBLICA, AD GRADUM ATTOLLITUR VICARIATUS APOSTOLICI

Ad universas orbis Ecclesias omnem Nostram conferentes curam, interdum nonnulla disponere solemus quae scimus spiritali communitatum singularum bono esse profutura. Ubi igitur cognovimus Praefecturam Apostolicam Ariariensem, in Columbiana Republica, propter Societatis S. Francisci Salesii sodalium sollerter operam, fidelium copia reique catholicae florere incremento, venisse tempus existimavimus ad Vicariatus Apostolici gradum memoratae Praefecturae provehendae, iisdem retentis finibus eodemque nomine. Itaque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositorum comprobantes sententiam, ex Nostraе profecto potestatis Apostolicae plenitudine, Praefecturam Apostolicam Ariariensem ad dignitatem evehimus *Vicariatus Apostolici*, eodem nomine appellandi, iuribus officiisque inpositis quae secundum codicis iuris canonici leges ad hunc pertinent gradum Nihil tandem addere volumus nisi ut caelestem adprecamur Satorem ut salutaris haec ubertas in dies magis magisque increscat, viribus auctis opibusque omnium. Ipse enim iam praemonuit centuplum fructum prolatum iri ex eo semine quod in bonam cecidisset terram.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

BERNARDINUS Card. GANTIN  
*Congr. pro Episcopis Praef.*

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*  
Antoninus Macculi, *Protonot. Apost. s.n.*

\*A.A.S., vol. LXXX (1988), n. 4, pp. 353-354

© Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana